



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici  
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

De ecclesiae Nouatianorum conflagratione. Capvt XXXVIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12704**

SOCRAT. HISTORIAE

præcipitare iubet. Proinde, qui primi ad præcipitium accesserant, ita faciunt: ac pars præcipitio obruti, pars aqua demersi statim perierunt: & nisi diuina prouidentia illis prospectum fuisset, multo plures interiissent. Nam fortè fortuna aderant Christiani, quorum alij piscatores, alij mercatores fuerunt: hi nonnullo eorum aqua prope suffocatos (qui iam tum in calamitate constituti, suam amentiam agnoscere cœperunt) extrahentes conseruauerunt: alios ne se in mare deiicerent, prohibuerunt, exitio eorū, qui ante se præcipites dedissent commonstrato. Iudæi tū fraude patefacta, cum temerariam ipsorum credulitatem incusarunt, tum Pseudomoysem illum occidere contenderunt. At eum nullo modo comprehendere poterant: quippe clam se eorum conspectu subdlexerat. Vnde nonnullorum animis infedit opinio, eum exitialem Dæmonem fuisse, qui ad ipsorum gentis perniciem, hominis speciem induisset. Quocirca multi Iudæi in Creta ea clade impulsī, Iudaismo derelicto, ad fidem Christi se transtulerunt.

*De ecclesiæ Nouatianorum conflagratione.*

CAPVT XXXVIII.

**B**Reui tempore post, Paulus Nouatianorum Episcopus, etsi vir reuera pius ante habebatur, tamen iam tum de eius sanctimonia multo maior opinio animis hominum concepta fuit. Constantinopoli fortè tale accidit incendium, quale nunquam antea accidisset. Nā magna pars vrbis igni ita conflagrauit, vt fortissima eius munimenta, & locus quidam publicus (qui Achilles dicitur) penitus vastarentur. Postremò ignis in ecclesiam Nouatianorum prope Pelargum sitam irrupit. Itaque Paulus, simul ac ecclesiam in periculum venire cerneret, ad altare profiliens Deo ecclesiæ conseruationem præcibus commendauit, neque pro ciuitate, & ecclesia illa præcari destitit. Deus igitur sicut rei euentus satis declarabat eius præces audiuit. Nam quāquam ignis in ecclesiam tum per ianuas, tum per fenestras iruebat, nihil tamen damni illi omnino attulit: quinetiam tametsi loca vicina flamma vndique vastauit, illam tamen ecclesiam igni circum circa quasi obsessam cernere licuit, eamque incendij furorem diuinitus euicisse. Incendium vbi

duos



duos dies noctesq; totidem urbē occupauerat, tandem omnino restitutum fuit: à quo licet multæ partes ciuitatis absumptæ essent, ecclesia, quam dixi, illæsa permansit. Et quod magis mirandum videtur, nullum fumi vestigium, vel trabibus eius alijsq; partibus ex ligno fabricatis, vel parietibus impressum vsquam cernebatur. Hoc factum est 16. Cal. Septembris, ad xiiij. Consulatū Theodosij, & Maximi primum. Nouatiani ex eo tempore diem festum ecclesiæ ab incendio conseruatæ quotannis, xvi. Calend. Septembris, quo Deo pro eius liberatione gratias agerent, celebrarunt: omnesque fere illam propter miraculū, quod in ea editum fuit, in magno honore habuerunt, & illum locum nō Christiani solum, verū etiam gentiles, tanquam verè sanctum colunt. Sed hæc quidem hæcenus.

*Quod Maximiano episcopo Proclus successit.*

CAP. XXXIX.

**M**aximianus cum duos annos, & Menses quinque ecclesiæ quietē præfuisset, exiit è vita, Areobindo, & Aspare Cofs. Pridie Id. Aprilis. Tunc erat forte septimana ieiuniorū, quæ proximè festum Paschatis antegreditur, diesque eiusdem, qui vulgo dicitur Quintus. Quo quidem tempore ab Imperatore Theodosio res prudenter tractata fuit. Nam ne controuersia, & tumultus in ecclesia denuo cieretur, abiecta cunctatione, dum adhuc Maximiani corpus insepultum iaceret, per episcopos, qui ibi aderant Proclum in sede episcopali collocandū curauit. Huic etiam negotio suffragabantur epistolæ Sclestini, episcopi Romani, quas ad Cyrillum episcopum Alexandriæ, & ad Ioannem episcopum Antiochiæ, & Rufum Thessalonicæ episcopum misit, quo eos doceret, nihil obstare, quo minus qui vnus ciuitatis vel nominatus fuisset Episcopus, vel iam esset Episcopus, ad alteram ciuitatem trāsferretur. Proclus igitur in sede episcopali locatus, corpus maximiani effert ad sepulchrum funusque celebrat.

*De Proclo Episcopo qualisnam fuerit. CAP. XL.*

**I**am verò tempus se offert pauca de Proclo cōmemorandi. Proclus ab ineunte adolescentia lector fuit. Scholas frequen-